




PAULI TARENGHI ROMANI

DE PACE

ELEGIAE.





ELEGIA I.

DUM furit, & miseros urget Bellona tumultus,
Dum procul inflata personat astra tuba,
Tunsa sinum, laniata comas, oblita sorores,
Exulat e nostris Pax bona limitibus.
Sparsa jacent oleæ felicia germina quondam,
Scissaque de nitido corpore vela cadunt.
Fluctuat interea dubioque exterrita motu
Incertos jactat Diva benigna pedes.
Vellet in extremi consistere finibus orbis,
Vellet in aerio ponere membra jugo;
Aut latitare cavi scabro sub fornice saxi,
Aut nova cæruleum Nympha tenere fretum.
Anxia sed curis mens, & furialia Martis
Arma vetant; armis omnia fœta videt;
Nec quo se possit tutari robore, nec quæ
Sit spes in tanto prospicit exitio.
Ergo mœsta, gemens, atque intermixta dolore
Verba profata, sibi cuncta sinistra canit.
Illa canit; Patris at sortem miserata nefandam
Protinus auxilio provida cura subit;
Aligerumque vocat flaventi crine Ministrum,
Quoque levanda docet sint mala tanta modo.

Constitit & præcepta piis ille auribus hausit,
Mox externatam se tulit ante Deam.
Adspectu Pax alma parum recreata decoro
Obstupuit summi nescia consilii.
Sed miseram blando solatur Nuncius ore,
Mœstaque nectareo corpora rore beat;
Nec mora; fide Deo, Pax o mitissima, dixit:
Ipse tibi cœlo spes data, certa salus.
Multa prius nobis visenda miserrima, quam tu
In nitidis iterum vecta vagere rotis.
Nunc opus aeriis decedere tractibus, inque
Pergere squalentes & sine luce domos.
Sancta veni; nec te pigeat venisse sub umbras:
Hic nitor umbrarum discutit omne genus.
Dixerat ille; favens Dea dicta secundat, & ultro
Læta meat propero quo meat ille gradu.
Invia terrarum lustrant loca passibus æquis,
Nunc mare, nunc montes, nunc pede rura premunt.
Denique in ignoti consistunt tramite luci,
Vadenti duplex qua via pandit iter.
Dextera flore novo pars aucta renidet, acutos
Læva tenet scopulos, & riget usque gelu.
Aliger hic: tristis ne te conturbet imago,
Diva, loci: bonus huc te jubet ire Pater.
Sic ait, & dextra comitem fulgente prehendit,
Ducit & abrupti sub cava saxa specus.

Illic æterni manibus constructa Tonantis
  Se caliganti regia tollit humo.
Hinc atque hinc rupes geminæ celsissima surgunt
  Culmina, liventi quas lacus ambit aqua;
Claustraque ferratum præcingit inhospita vallum;
  Eductæ rigido stant adamante fores.
Vestibulum servat districtis ensibus agmen
  Aligerum, summi turba ministra Patris:
Et jacit admixtos nebulis nigrantibus ignes,
  Intentatque graves ore manuque minas.
Quæ postquam tacito lustrarunt omnia vultu,
  Dux premit admota limina sacra manu.
Objicibus tetrum patuit penetrale reclusis,
  Et vasto comites inseruit gremio.
Dispulit affusas lux Alitis alma tenebras,
  Strataque visa trucis sanguinolenta soli.
Sub trabibus pallens hæret color, effera signant
  Funera, quæ muris plurima picta jacent.
Sunt dolor & lacrymæ, sunt agmina densa malorum
  Adsita, & innumeris flagra notata modis.
Tum medio legitur peraratum fornice carmen:
  „ Me posuit quondam Numinis ira domum. „
Diva stupet, cupidisque oculis & mente tenaci
  Cuncta notat, vati non reticenda pio.
Scilicet adstabant distincta ex ordine quotquot
  Intulit ingratis Numinis ira viris.

Strata per undisonos jactabat corpora tractus
  Immenso veniens agmine diluvies.
Naufraga supplicibus complebat sydera votis
  Turba, sed effusi quæ rapuere Noti.
Scindebat canos pinus Noëtica fluctus,
  Unaque gurgitibus stat super, una natat.
Nec minus ex alia flagrabant parte Gomorrhæ
  Compita, & obscænas flamma vorabat opes.
Stant Sodomæ pariter consumpta bitumine regna,
  Incæstumque haurit nigra favilla nefas.
Lothus inoffensi pergit per itinera callis,
  Juraque naturæ non temeranda colit.
Nec procul Ægyptus quæ pertulit horrida quondam
  Damna, jacent formis indita terrificis.
Hic tegitur spissis tellus adoperta tenebris,
  Hic fluit infecto sanguine Nilus adhuc.
Sunt & ranarum, turba importuna, catervæ,
  Plurimaque in lætis fusa locusta satis.
Natorum primo truncantur corpora somno,
  Indeplorata quæ cecidere nece.
Regalesque rubri sub gurgite marmoris alto
  Præcipitant currus, barbaricæque manus.
Cernitur Assyriæ cædes nocturna phalangis,
  Fulmineoque ferox Angelus ense micat.
Adstant & Solymæ miserabilis oppida fundo
  Diruta, & hostili tecta cremata face.

Impius augusti proculcat fragmina templi
  Miles, Romana turgidus in chlamyde.
Plurima præterea monumenta furoris in atro
  Abdiderat Superum Rex hominumque loco.
Singula quæ lento Pax lumine dispicit, & se
  Colligit, & misera flet super historia.
Ast oculos ubi mœsta parum detorsit, inanem
  Pictura sedem conspicit ecce Dea.
Substitit attonitæ similis, caussamque rogavit;
  Aliger hanc roseo reddidit ore comes.
Auspice supremo sata Numine Diva, bonisque
  Pax hominum primis edita temporibus;
Dissidii quæ caussa tui sit maxima, quodque
  Sit caput infandi scis, miseranda, mali.
Gallia sacrilegis confidentissima factis
  Exerit armigeros in tua damna globos.
Et quatit impulsu cœlum terrasque procaci
  Impia, prognatos quæ Babylone refert.
Nec dubitat Stygii vires accire Tyranni,
  Nec valet ingenitam barbariem exuere.
Ergo suppliciis jamjam torquebitur, omnes
  Quæ superent captus, exitiumque ferant.
Plorabit natos mater captiva peremptos,
  Et volet in molli figere tela sinu.
Conjugis ante pedes conjux cadet icta, requiret
  Fervidus abductæ virginis ora procus.

Terra novas fruges, & tempestiva negabit
Poma, nec invisos Flora beabit agros.
Civica luctisono pulsabunt æthera quæstu
Agmina, & in superos jurgia sacra voment;
Tum vero in media Discordia gente tonabit,
Circumagetque truci torta flagella sono.
Quid referam gravidos miscentes omnia nimbos,
Succussum crebro quidve tremore solum?
Tandem victa cadet, justaque Lutetia pœna
Probra luet: meritum sentiet ægra jugum.
Libertas patrium fugiet lymphata sub Orcum,
Fœdifragumque prement ferrea vincla genus.
Post mala tot, summi saturas post Vindicis iras
Pingentur vacua facta tremenda domo.
Idcirco tetri pars imperfecta theatri
Magna manet: magni criminis ille locus.
At tu freta Deo perfer fortissima casus
Diva tuos, nimio nec cade fracta metu.
Sic ait, & dextra comitem rapit acer amica
Ocyus, & cæcis erigit e latebris.
Strident, & verso clauduntur cardine portæ,
Illa tenet superas, & tenet ille plagas.

F I N I S.

ELEGIA II.

PUlchra sedens, Horisque parens invecta puellis
Ibat purpureo sparsa colore dies.
Ecce autem Dea jussa nigros abjecit amictus,
Ornavit flavas non sine flore comas.
Pendent e niveo festiva monilia collo,
Subnectit tenerum zona corusca latus.
Auratæ fulgent ocreæ, surasque coercent,
Implicat innocuas mitis oliva manus.
Tum vero celeremus ait bonus Aliger: illa
Læta movens animo plurima, tendit iter.
Pallentes violas, argentea lilia felix
Litus habet, rident gramina, myrtus olet.
Tandem clivosæ veniunt ad culmina terræ,
Qua fluit aurifera lucidus amnis aqua,
Qua volucres mira complent dulcedine mentes,
Ingeminat blandos qua levis aura jocos.
Dixeris Elysium minus hoc fulgere viretum,
Hesperidumque putes horrida rura nemus.
Huc ubi deventum: comes, o comes ore Minister
Intonat: hæc nostri meta laboris erit.
Perge sub hunc cernis quem se demittere collem,
Perge: tenet facilem vallis amica viam.

Diva capit pronos aditus, hilarisque vigensque
  Et terit, & tritum laudat amatque locum.
Jamque videt roseo vestitos lumine campos,
  Jam stupet attonito pectore dulce solum.
Mox illuc celeri contendit cum Duce cursu,
  Et fortunato figit in orbe pedes.
Tum prior hic *Ales*: quo litore clauderis inquit;
  Qualibus hæc surgunt regna sub auspiciis!
Signa vides ex ære, vides e marmore vultus:
  Quæ bona portendant omina disce Dea.
Ille coronatis præfulgens crinibus heros,
  Continuit victor Solis anhelus equos.
Ille potens funda citharaque decorus & ore,
  Perculit insigni cæde Giganta Puer.
Fortia qui multo diducit brachia nisu,
  Elisit templo mille ruente manus.
Qui jactat siccum per culta madentia vellus,
  Tercentis pota millia stravit aqua.
Fœmina quæ clavum prætendit læta trabalem,
  Fodit barbarici tempora fessa Ducis.
Altera quæ rutilo præcingitur ense Virago,
  Assyrias uno vulnere fregit opes:
Qui superat cara Genitor cum Prole cacumen,
  Quattuor ille tulit Regibus exitium.
Cornibus auratis alter virgaque tremendus,
  Memphitæ vires fudit inermus heri.

Signa sed hæc amplum quæ multa locantur in orbem,
Unde putas tantum, Diva, tenere decus?
Adspice distinctam gemmis radiisque micantem,
Et vitreo sparsam rore rosisque viam:
Hac una pergamus, & ultima meta docebit
Cur visæ cingant arva beata notæ.
Sic ait, inque globos infert se Diva coruscos,
Prodigiumque oculis excipit attonitis.
Ingens in medio consurgit litore templum:
Auro incenduntur frons, penetrale, latus.
Sexcentis moles innititur alta columnis,
Auro quæ pariter fulcra micante rigent.
Limina flammanti radiant augusta pyropo,
Quæ super hæc viridis verba smaragdus habet:
„ Hanc Deus Edenis posuit pro vallibus arcem: „
„ Hoc de felici crimine surgit opus. „
Legit, & arrecto subiit Dea candida vultu
Queis procul abscedit turba profana, fores.
Nec mora; digestas circumspicit ordine pompas
Regificas sanctæ Relligionis opes.
O domus, inde refert, quæ Numine digna superbis,
Quæque lates miris invenienda modis;
Quidquid inest hominum terris te semper adoret,
Semper honorato carmine, sancta, canat.
Dixit, & Aligerum medio videt agmina templo:
Horum erat ingenti juncta corona Cruci;

Quæ tria de terna jaculatur lumina rima:
Gemmeaque in toto stipite gutta fluit.
Hinc radiat sertum spinisque micantibus ardet:
Hinc tribus e clavis spicula lucis eunt.
Crysolitho felix compacta columna refulget:
Serica de ducto stamine flagra nitent.
Felle vel ingrato non jam turgescit aceto
Spongia, sed claræ lampadis instar habet.
In nitido pictum qui se velamine pandit,
Illitus ardenti murice vultus erat.
Quæ tabulam claro bisduplex litera sulco
Findit, crystallo versicolore micat.
Ipsum etiam argento splendens hastile videres:
Luce nova talus, lintea, scala flagrant.
Omnia quæ summo pendebant vertice signa:
Cætera quadrato nixa trophæa solo.
Nixa sedet bissena manus, cui (mira relatu!)
Lambit inoffensas flammea lingua comas.
Hanc inter medium servat Regina, decusque
Matris & intactæ Virginis una refert.
Est & honos muris suus additus: omnia cernas
Plena triumphali lumine, plena Deo.
Virgineus tunicis chorus hic effictus in albis,
Hic rubet indigna cæde perempta cohors.
Hic qui terrarum solos coluere recessus,
Hic in sacratis agmina clausa locis.

Quin & Judæi quam sustulit ira Tyranni
 Ridet, & indulget parvula turba jocis.
Nec procul Eoi Reges, quos nobile quondam
 Sydus Bethleum compulit in stabulum.
Hæc & plura Deæ mulcent spectacula mentem,
 Cum videt in vacuo nulla trophæa loco.
Tunc caussam doceas, Ales bone, dixit; at Ales
 Hanc dedit, & labro risit hiante comes.
Felix & rerum fortunatissima Roma,
 Quam Styx atra tremit, quam Pater orbis amat,
Quam petit invidiæ frustra dens improbus, omnes
 Eludet fremitus, despicietque minas.
Nec satis: hostiles Capitolia ad alta phalanges
 Non vi, non ferro militis usa trahet;
Sed quæ Relligio dat habere insignibus alma
 Stringet, & impacto compede colla teret.
Nec mirere truci si nunc jactatur ab æstu,
 Si tempestatum turbine pressa gemit:
Nam miris erepta modis e faucibus Orci,
 Nec sine divini Numinis aucta manu,
Eriget alta caput mox, & secura fruetur
 Muneribus posthac, Diva benigna, tuis.
Inde triumphatum postquam pacaverit orbem,
 Regina in vacua parte sedebit ovans.
Quare age, Pax, Urbis jam te te ad mœnia perfer,
 Quæ cupis ille dabit regna beata sinus.

XIV

Dixit, & arreptam dextra procul egit amica,
Inque auris sese miscuit ætheriis.
Sic habet Aligerum cœlestis regia, sic et
Sub Vaticano Pax latet axe Dea.

F I N I S.

R O M Æ

ANNO DOMINI MDCCLXXXXIV.

EXCUDEBAT JOANNES ZEMPEL.



PRÆSIDUM FACULTATE.





